

vel tanquam ab ea separata, perspicuum est indicare prætenfos Augustini discipulos, verifimos Jansenistas. Hi vulgari ipsorum sermone sunt omnes, & soli Moralis purioris Magistri, omnes eliminato timore, & spe, solam charitatem verbis quidem, sed inanibus jactant, quam scriptis, & factis destruunt.

Articulus nonagesimus octavus maximè idoneus est, ut obtentu persecutionis contra præcones veritatis, hodie in Ecclesiâ grassantis, Jansenistarum discipuli, & discipulæ in pertinaciâ obfirmetur contra omnia anathemata, & censuras Ecclesiæ, ut patuit in Portus-Regii Monialibus, quas constat similibus Jansenistarum documentis instructas contempsisse omnem, etiam supremam Ecclesiæ, cum inflictis ab ea excommunicationibus, auctoritatem.

Minimè obscurum est, quos Author in Articulo nonagesimonono bonos libros indicet, videlicet ob Jansenismum, & Novitates à Sede Apostolicâ condemnatos, quales præcipuè sunt libri Jansenii, Arnaldi, Novum Testamentum Montense, Rituale Aletanum, & similes, qui passim à Quesnello, & ejus socio Arnaldo tanquam utilissimi, & pietate conspicui commendantur. Hos nempe bonos libros, si Quesnello credimus, *pernicacia, præventio, obstinatio Pontificis in nolendo aliquid examinare, aut agnoscere se fuisse deceptum, mutant quotidie quoad multos, scilicet Pontifici credulos, in odorem mortis; libros, inquam, quos DEUS in sua Ecclesia posuit, ut in ea essent odor vite.*

Articulus centesimus pariter seditionem spirat, & calumniam adversus summos Principes, tam Ecclesiasticos, quàm laicos; quasi coercendo, & puniendo Jansenistas, *Persequantur veritatem, ejusque discipulos.* Constat enim, non esse aliam persecutionis speciem, non aliam à prætenfis Augustini discipulis obtendi.

Manifestum quoque est, ab Authore in centesimo primo Articulo juramenta præcipuè intelligi, quæ Ecclesia in Galliis, & Belgio exigit contra Jansenianam hæresim. *Nihil, juxta Quesnellum, spiritui DEI magis opponitur, quam communia facere talia juramenta in Ecclesiis, quia hoc est multiplicare occasiones pejerandi, laqueos tendere infirmis, & idiotis; infirmis quidem, quia anhelantes ad beneficium, vel officium ejurant vocibus, quod animo retinent: idiotis autem, qui restrictionibus, distinctionibus, explicationibus à Quesnello subdolè confictis non satis imbuti, jurant juxta verba formulæ in sensu obvio accepta, adeòque Jansenii sensum detestantur, quem affectu depereunt.* Verùm si propter transgressiones plurium, lex quælibet abroganda est, ecquod divinum, humanumque præceptum in tanta delinquentium multitudine stare poterit? Sed neque Jansenistæ omnes tam prostrutæ apparent conscientiæ, ut pejerare facile, & gratis velint: aut si omnis eis in labiis religio est, non omnes tam abjecti animi sunt, ut videri cupiant à Jansenii sensibus recessisse. Quanquam & fateri necesse sit, paucissimos ex infinito Jansenistarum numero, reperiri hodie, qui metu perjurii arceri se à beneficio, à Sacerdotio, vel gradu Academico patientur. Sed qui restrictiones perhorrescere se fingunt, centissima mendacia, perjuria, sacrilegia minimè verentur, ubi ad sacrum Ordinem, gradum, beneficium, ad sectæ suæ propagationem visa fuerint necessaria. Hæc prudentia filiorum iniquitatis, fallendis Ecclesiarum Rectoribus opportuna, Ecclesiis funestissima est, quando perjuriarum ope in greges immittuntur lupi, in cathedras docentium, in canonicorum capitula, & dignitates etiam non infimas, irrepunt hæretici, eò perniciosiores, quò magis occulti, & ad omnem magis compositi fraudem, atque hypocritism. Verùm qualiscunque prudentia carnis, & Novatorum perfidia sit, qualiscunque potestas tenebrarum, scimus non esse consilium, non astutiam contra Dominum, Petri Naviculam agitari fluctibus posse, nunquam submergi. Tibi in mare, & ventos imperium est, Tibi nihil difficile, nihil obscurum. Tu igitur fraudes, & molimina novorum æquè, ac veterum hæreticorum detege, atque elide. Quoniam verò Ecclesiastica contemptores potestatis sunt, irrisores definitionum, censurarum, anathematum, suscita contra illos spiritum Principum, quibus ad vindictam malorum, maximè ad defensionem Ecclesiæ gladium tribuisti; ut qui CLEMENTIS Vicarii tui mansuetudinem, quasi imbecillitatem despiciunt, secularis potestatis robore conterantur: ut eliminatis tandem novitatibus, pacè Ecclesiæ restituta, Te cum Patre, & Spiritu Sancto Unigenitum, unanimes, uno ore in hoc exilio, latioribus, & pariter consonis laudibus celebremus in patriâ. Amen.